

vero, quatenus ad perseverandum in gratia, bona opera multiplicando, eadem antecedens et comitans virtus necessaria est. Cum ergo tota hæc virtus optime sine prædeterminatione subsistat, non est necessaria ex mente Concilii prædeterminatio, ut nostra bona merita dona sint Dei.

15. Et ob eandem causam, non sequitur posse nos in nobis, et non in Deo de aliquo nostro bono gloriari: nam ipsa libera determinatio, etiamsi a nobis sit, est donum Dei, quia ab ejus vocatione congrua, et auxilio nos adjuvante procedit, et qui sic de illa gloriatur, non in se, sed in Domino gloriatur. Scriptura enim (quod attente considerandum est), cujus verba Concilium usurpat, non prohibet simpliciter gloriari, sed in se et non in Domino, ut Jerem., cap. 9, significavit, et exposuit Paulus, 1 Corinth. 1, et 2 Corinth. 10, ubi simul prohibemur gloriari in nobis, conceditur autem nobis in Domino gloriari. At vero sicut ex Pelagiano errore sequitur gloriatio hominis in seipso, ita ex prædeterminatione physica tollitur omnis gloriatio in Domino, quia tribuitur opus gratiæ, ut nulla gloria possit ex eo in hominem redundare, etiam in Domino, quia determinatio ad bonum opus nullo modo est a libertate ipsius hominis, sed ex sola impressione divina. Concilium autem cum Paulo ita conjungit gratiæ influxum cum operatione nostra libera, ut non possit homo in se gloriari, in Deo autem possit.

CAPUT XXXVII.

EXPENDUNTUR CANONES QUATUOR CONCILII MILEVITANI ET ARAUSICANI, ET AN DEUS EXPECTET HOMINIS VOLUNTATEM EXPONITUR.

1. Præter Concilium Tridentinum, nulla generalis Synodus aliquid de gratia in particulari definivit; nam, licet Ephesina Synodus Pelagianos damnaverit, non tamen ex professo doctrinam fidei tradidit, sed solum Cœlestini Papæ sententiam amplexa est, ut in 5 prolegomeno retuli. Et ideo solum de Conciliis provincialibus dicendum superest; nam illorum etiam auctoritas magni ponderis est, et ita illa utitur sæpe Augustinus in hac materia, ut videre licet in Epist. 90 et sequentibus, et in 103, et lib. 3 contra Julianum, cap. 1, et sæpe alias. Inter Concilia autem provincialia quæ de gratia scripserunt, Milevitanum et Arausicanum sunt firmioris auctoritatis, quia et a Sede Romana probata sunt, et antiquissimi

ma traditione, et consensu totius Ecclesiæ sunt roborata, ut in 6 prolegomeno visum est, et unum contra Pelagianos, aliud contra Semi-pelagianos pugnavit.

2. *Concilium Milevitanum quoad gratiam in præsentem expenditur.* — Ex his vero Concilium Milevitanum octo tantum habet canones ad gratiam spectantes, ex quibus duo primi de peccato originali ejusque remissione per Baptismum definiunt; in tertio vero, quarto et quinto, necessitas gratiæ adjuvantis ad cavenda peccata docetur. De quo adjutorio in sexto, septimo et octavo traditur, in hac vita non esse tale, ut ad vivendum sine ullo peccato sufficiat. Ex omnibus ergo illis capitibus, tantum hæc verba quæ in can. 4 leguntur aliquid possunt ad præsentem causam conferre: *Per gratiam non solum nobis revelari quid appetere, quid vitare debeamus, sed etiam nobis præstari ut, quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus.* Quæ possunt in hunc modum pro physica prædeterminatione induci, quia cum illud Concilium ait, per gratiam præstari, non intelligit tantum moraliter, sed etiam vere efficienter ac physice; ergo efficit in nobis gratia, et ut valeamus diligere, et ut diligamus: primum autem præstat per gratiam sufficientem; ergo secundum præbet per efficacem; ergo per gratiam prædeterminantem. At vero in hac inductione, cæteris omnibus concessis, hæc ultima consequentia nullius momenti est; præstat enim nobis Deus, tam moraliter quam physice, ut ipsum amemus; moraliter quidem, per gratiam efficacem prævenientem congrue nos vocando; physice vero, per gratiam concomitantem et simultaneam physice nos adjuvando, quod optime fit sine ulla prædeterminatione, ut sæpe est a nobis explicatum. Cum illud Concilium non aliud gratiæ adjutorium requirat, potius ex illius negativa auctoritate contra prædeterminantis gratiæ necessitatem argumentamur: nec in illo Concilio aliud in hac causa consideratione dignum invenio.

3. *Expenditur Concilium Arausicanum.* — *Objectio.* — *Solvitur.* — Ex Concilio Arausicano generaliter obijciuntur nobis illæ locutiones: *Ipsa gratia facit ut invocetur a nobis, can. 3; Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur, can. 9; Nemo ex eo quod videtur habere gloriatur, tanquam non acceperit, can. 16; Multa in homine bona fiunt quæ non facit homo; nulla vero facit homo bona quæ non præstet Deus ut sa-*

ciat homo, can. 20; *Prorsus donum Dei est diligere Deum, ipse ut diligeretur dedit.* Ac denique addunt illa, in quibus necessitas prævenientis auxilii definitur. Veruntamen hæc omnia confirmant potius nostram sententiam quam oppugnent, quatenus tantum docent nos moveri et juvari a gratia per inspirationes prævenientes, et adjutorio comitans et simultaneum, nec alicujus auxilii prædeterminantis motionem faciunt. Illa enim duo auxiliorum genera per illa verba indicantur: *Deus in nobis atque nobiscum operatur.* Dicitur enim Deus operari in nobis, quando solus ipse nos movet; operatur autem hoc modo, illuminationes et inspirationes sanctas nobis infundendo, ut idem Concilium dicit can. 43, et 6, et 7, et per easdem dicit facere Deum ut ipsum invocemus, oremus, amemus, seu velimus, et sicut oportet operemur: per inspirationes autem et illuminationes non prædeterminatur physice voluntas, ut jam ostensum est. Quod si vis fiat in verbis *faciendi et operandi*, quæ significant efficientiam physicam, idem respondemus quod de similibus verbis Scripturæ diximus; nam Concilium loquitur imitando Scripturam, et proxime imitatur Augustinum, de quo postea dicemus. Ac denique ipsummet Concilium sensum suorum verborum satis explicuit per verba *illuminandi et inspirandi*; per quæ dicit in can. 7, *dare Deum suavitatem in consentiendo, et credendo*; et can. 17 dixit: *Fortitudinem Christianorum Christiana charitas facit*, ubi verbum *facit* morale certe causalitatem significat; et can. 23 inquit: *Quando homines ita faciunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est a quo præparatur et jubetur quod volunt*, quæ est sententia Augustini, tract. 19 in Joan., et apud Prosper. 336, alias 338. Apud Augustinum autem voluntatem præparari a Domino, non est prædeterminari, sed congrue vocari, ut in proprio capite ostendimus. Sed aiunt: Concilium dicit hoc fieri in nobis per operationem divinam; operatio autem divina quid physicum est. Respondeo: etiam inspiratio est quid physicum, nam est divina operatio, et non ideo prædeterminat.

4. *Adducuntur et expenduntur duo alii canones ejusdem Concilii.* — Præter hæc, quæ generalia sunt, expenduntur contra nos duo alii canones ejusdem Concilii. Prior est can. 4, ubi Concilium damnat: *Si quis dixerit, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum*

expectare, etc.; nam ex nostra sententia sequitur Deum expectare voluntatem nostram, ut eam a peccato purget; hoc autem est contra dicta verba Concilii, ut patet: ergo. Major seu sequela probatur, quia Deus non purgat voluntatem a peccato, nisi jam consentientem et determinatam; sed Deus (ut nos dicimus) non efficaciter facit ut determinetur; ergo expectat illam ut se determinet, et sic a peccato purgetur. Ad hunc canonem respondi lib. 3 de Auxiliis, cap. 15, Deum non expectare voluntatem hominis non vocati, ut illum vocet; expectare tamen voluntatem hominis jam vocati, ut consentiat.

5. *Objectiones.* — Hoc vero responsum acriter reprehenderunt, qui postea pro auxilio prædeterminante scripserunt. Ex quibus Cummel., dicto libr. 1, disput. 4, sect. 3, parum a principio, dixit esse sententiam falsissimam. Alii vero dicunt esse contra illud Concilium, quia sensus illius canonis, ut aiunt, est quod, licet quis habeat auxilium sufficiens ad conversionem et purgationem peccatorum, Deus postea non expectat nostram voluntatem, ut actu velit purgari et converti. Hunc autem esse sensum Concilii probat Alvarez, ex contrario errore Massiliensium, quod Concilium damnat. Massiliensium enim sententia erat, postquam Deus vocat hominem ad poenitentiam, expectare eum, ut, si velit, consentiat, non autem efficere ut efficaciter et infallibiliter præbeat assensum; ergo hoc est quod damnat Concilium. Antecedens probat ex Epistolis Prosperi et Hilarii ad Augustinum, et Epistola 107 Augustini ad Vitalem. Et ad idem ponderat verba Concilii, quia non damnat dicentes Deum expectare nostram voluntatem, ut illam excitet, sed non expectare, ut illam a peccato purget. Et addit rationem, *quia, ut purgari velimus, fit in nobis per Spiritus Sancti illuminationem*, quæ debet esse operatio physica, de qua etiam loquitur Paulus, quem Concilium allegat ad Philip. 2, cum dicit: *Deus est qui operatur in nobis.* Ubi etiam ponderat non dicere, *operatur nobiscum*, sed *in nobis*, quod antecessorem quamdam significat. Denique addunt rationes, ut rem ipsam suadeant, quia causa efficiens non expectat suum effectum; sed Deus per auxilium præoperantis gratiæ est causa, quod homo velit; ergo non expectat illum, ut velit. Alias item rationes ab inconvenienti inducunt, quas in sequenti puncto melius proponam.

6. *In quo sensu catholico dicatur Deus expectare, vel non expectare voluntatem peccato-*

ris, ut eum a peccato purget. — *Punctum canonicis.* — *Assertio prima.* — *Respondetur.* — Punctum quod in intelligentia hujus canonis attingitur, est unum ex præcipuis hujus materiæ, in quo ecclesiastica definitio jure ac merito desiderari ac postulari potest; interim tamen dum Ecclesia aliud non definit, duo mihi videntur omnino vera, et a Theologis asserenda. Unum est, postquam Deus vocavit hominem sufficienter ad pœnitentiam, expectare voluntatem ejus, ut eum a peccato purget. Hanc assertionem probavi in loco citato, verbis illis Apoc. 3: *Ecce sto ad ostium, et pulso; si quis aperuerit, intrabo.* Quia et metaphora ipsa et modus loquendi aperte ostendunt, postquam Deus pulsat, expectare responsum, sicut qui pulsat ad ostium amici, expectat responsum. Illa enim conditionalis aperte ostendit Deum non intrare donec homo respondeat, et consequenter illum expectare. Quod eodem verbo dixit Isai. cap. 30: *Expectat Dominus ut misereatur vestri*, et Deus per ipsum, cap. 5, postquam numeravit omnes gratias quibus vineam suam præparavit, inquit: *Expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas.* Ad quæ loca respondens P. Alvarez, solum ait, in illis locis per illa verba tantum significari exigere Deum ab homine quem vocat, et a peccatis purgare vult, cooperationem sui liberi arbitrii; non tamen significari expectare Deum talem cooperationem quæ sit a nobis ex nobis, sed quæ sit donum Dei. Probat hanc expositionem ex eodem Propheta, dicente: *Beati omnes qui expectant eum.*

7. *Rejicitur illa responsio.* — Sed hæc nobis non satisfaciunt. Nam esto verum sit, ut revera est, per illa verba explicari liberam cooperationem nostram, non est minus verum, per illud verbum *expectandi*, proprie et sine ulla erroris suspitione aut umbra explicari. Cur ergo in me reprehendunt modum loquendi, quem ipsemet Spiritus Sanctus docuit? Aut qui credibile est damnasse Concilium Arausicanum propositionem in Scriptura expresse contentam, et non solum in uno loco per Prophetam a Spiritu Sancto dictam, sed in alio etiam ex ore ipsius Dei relatam? Deinde Scriptura sacra proprie est interpretanda, ubi vel evidens ratio, vel cogens auctoritas aliud non docet; per verbum autem *expectat* ita significatur necessitas nostræ liberæ cooperationis, ut etiam significetur debere cum determinatione nostræ liberæ voluntatis inchoari, et hanc expectare Deum ut illi cooperetur. Alioqui quid expectat Deus? Non quidem ut fiat

in nobis auxilium efficax, tum quia nemo expectat quod a solo suo arbitrio pendet; tum etiam quia de vinea sua dicit Deus: *Expectavi ut faceret*; ipsa autem non est factura auxilium prædeterminans. Nec, posito illo auxilio, est quod Deus expectet liberam cooperationem, quia necessario sequitur ex illo auxilio sine ulla mora, et in eodem puncto, ita ut ab ipso homine impediri non possit. Nec etiam potest Deus expectare cooperationem ab homine vocato et non prædeterminato, si illa prædeterminatio necessario debet antecedere sine cooperatione ad illam, quia expectaret rem impossibilem; non ergo expectat determinationem, ut a se solo faciendam, sed ut non potest fieri sine nobis.

8. Verbum ergo *expectandi* proprie sumptum (ut sumi debet in dictis testimoniis, quantum fieri possit) necessitatem talis prædeterminationis excludit, et ostendit talem et tam veram ac propriam esse nostram liberam cooperationem, ut Deus vere dicatur expectare illam immediate et proxime post sufficientem vocationem. Nam etiam hoc includit verbum *expectandi*, et ideo in dicto cap. 5 Isaiæ, prius describuntur omnia subsidia prævia, et necessaria antecedenter in vinea, ut fructum posset ferre, et postea merito dicitur expectasse Deum ab illa ut faceret uvas, fecisse autem labruscas, quia utramque facere poterat, labruscas per seipsam, uvas per auxilia gratiæ, quibus jam erat sufficienter instructa. Et hoc ipsum satis aperte docet Paulus, cum homines jam vocatos monet *ne in vacuum gratiam Dei recipiant*, 2 Corinth. 6; quem locum tractans Augustinus, libr. de Grat. et liber. arb., ait: *Ut quid eos rogat, si gratiam sic susceperunt, ut propriam perderent voluntatem.* Ubi *propriam* vocat, id est, cui integrum sit in hanc vel illam partem se flectere, non obstante præcedente gratia et vocatione. Quia vero hæc proprietas voluntatis per gratiam non destruitur, ideo merito rogat Paulus, et per illum Deus, *ne in vacuum gratiam recipiamus*; ergo a fortiori hoc ipsum expectat Deus, nam rogare plus est quam expectare.

9. *Confirmatur ex Concilio Tridentino.* — Præterea veritas hæc confirmari potest ex Concilio Trident., sess. 6, c. 7, dicente, unumquemque recipere justitiam secundum mensuram voluntate Dei distributam, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. Ex quibus verbis colligo quod, licet Deus voluntate sua præfinierit unicuique mensuram

justitiæ, quam illi dare statuit, nihilominus simul deerevisse illam dare commensuratam dispositioni et liberæ cooperationi uniuscujusque; ac proinde, licet in ordine intentionis, quoad præfinitionem, Deus non expectet voluntatem hominis, nihilominus, quoad executionem, illam ejusque cooperationem expectare; nam ut conferat gloriam expectat merita et perseverantiam, et ut conferat habitualem gratiam et justitiam, expectat ut homo se cum divino auxilio disponat; et ut conferat dispositionem, expectat liberam cooperationem ad illam, quia statuit non dare talem dispositionem sine libera cooperatione, et hoc satis est ut illam expectare dicatur. Unde etiam dixit Hieronymus in dictum caput 30 Isaiæ: *Grandis misericordia Dei, quæ nostram expectat pœnitentiam.* Et Prosper., lib. 2 de Vocat. gent., cap. 8, alias 2: *Terra vivet, et de gratiæ imbre jam secunda habet quod ab ipsa expectetur, ad id quod accepit augendum.* Eodem modo loquuntur Ambrosius et Hieronymus, quos in dicto libro de Auxiliis allegavi, quibus P. Alvarez non aliter quam ad Scripturas respondet, et ideo evasionem ejus prætermitto.

10. *Assertio secunda.* — *Probat.* — Secundo ergo assero verum sensum illius canonis 4, esse Deum non expectare dispositionem, aut meritum aliquod proprium voluntatis humanæ, id est, propriis et solis viribus suæ libertatis factum, ut in ea opus gratiæ suæ inchoet per vocationem, inspirationem, et alia præventia auxilia; non tamen negare Concilium, postquam gratis Deus hominem vocavit, expectare liberam cooperationem ejus ad consensum, ut eum a peccatis purget. Hanc assertionem probo primo ex dictis; hæc enim posterior pars sequitur ex dictis, quia non potuit definire Concilium contra expressam Scripturæ locutionem. Ex hac autem posteriori parte sequitur prior, quia, excludo hoc posteriori sensu falso, nullus alius verus relinquitur, nisi ille prior. Secundo probatur ex verbis Concilii, tum quia non loquitur de uno vel alio actu justificationis, seu purgationis a peccato, sed de toto negotio gratiæ, quod in hujusmodi purgatione intervenit, et ita damnat dicentes expectare Deum voluntatem hominis, ut eum a peccato purget. Deinde non loquitur de expectatione cooperationis liberæ voluntatis a gratia præventæ, sed simpliciter de expectatione voluntatis, nimirum, ut per se quisque suis viribus aliquem effectum habeat, per quem Dei gratiam obtineat.

11. *Expositio.* — Denique in probationem

adducit Concilium sententiam illam Augustino familiarem, ex Proverb. 8, juxta LXX: *Præparatur voluntas a Domino.* Quod facere Deum per vocationem idem Augustinus exponit libr. 2 de Peccator. merit., capit. 18, et de Prædestinat. Sanctor., cap. 16, et aliis locis sæpe citatis; ergo non loquitur Concilium de voluntate jam vocata et excitata, nam talis voluntas jam est a Deo præparata. Et ideo testimonium illud nihil facit contra veram sententiam quam defendimus; nam licet Deus expectet consensum a voluntate post vocationem, nihilominus ipse est qui talem voluntatem ad consentiendum præparat. Et ideo si sensus Concilii esset quem adversarii illi affigunt, extra rem fuisset testimonium illud. Nec plus valeret aliud ex Paulo, ad Philip. 2: *Deus est qui operatur in nobis velle*, nam hoc facit Deus in nobis per vocationem, teste Augustino, de Spiritu et litter., cap. 44, et aliis frequentibus locis infra referendis; ergo non potest loqui Concilium de homine jam vocato, nam, licet Deus expectet consensum ejus, nihilominus ipse erit qui in ipso homine, cum vult, operatur ipsum velle. Damnat ergo Concilium eos qui dicebant, velle et desiderare sanitatem animæ præcedere in homine sine operatione Dei, et hoc velle expectare Deum, ut in ipso salutis opus incipiat, et contra hunc sensum optime probant dicta testimonia.

12. *Convincitur sensus ex errore contrario.* — Præterea convincitur hic sensus ex errore contrario, quem Concilium in illo canone damnare intendit. Nam Synodus illa directe impugnat Semipelagianorum errorem, ut in prolegom. 6 ostendimus. Illorum autem error fuit, initium salutis sumi a libero arbitrio aliquid per se merente, saltem volendo et desiderando sanitatem; et ideo dicebant hanc voluntatem expectare Deum, ut hominem a peccato purget. Et ita tota contentio cum illis fuit de prima excitatione et vocatione divina, cur quibusdam detur, et non aliis, vel cur huic major, aut citius, aut magis congrua, quam illi, quod totum referebant in solam hominis voluntatem, quam dicebant expectare Deum, ut juxta ejus affectum eam vocet. Ut autem Concilium hunc errorem damnaret, necessarium fuit loqui in sensu a nobis exposito; ergo in eo locutum est. Major late a nobis probata est in proleg. 5, et cum res consistat in facto, testibus probanda est. Producant ergo prædicti auctores auctorem aliquem antiquum, vel modernum, qui ante ipsos dixit contentionem cum Semipelagianis fuisse, de consensu post

vocationem ex auxilio gratiæ libere præstando, an Deus, postquam hominem vocavit, illum expectet, necne; non potius de vocatione ipsa, et de aliquo bono usu liberæ voluntatis, qui præcedere possit aut debeat. Certe qui attente legeret epistolas Prosperi et Hilarii, et librum Augustini de Prædestinat. Sanctor., nihil aliud inveniet. Sed quia hæc in dicto prolegom. 5 late tractavi, repetenda hic esse non censui.

13. *Probat ex Augustino.* — Tertio, probare hoc possumus specialiter ex Augustino in eadem epistola 107 ad Vitalem, quæ in contrarium allegatur, ubi in principio ita refert errorem Vitalis, qui credebatur, ante internum salutis initium, non præcedere nisi doctrinam, et legis vel fidei propositionem, reliqua vero ex solis viribus liberæ voluntatis pendere. Unde infra objiciendo illud Psalm. 36: *A Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet*, ponderat Augustinus non dixisse, et viam ejus discet, aut aliquid (inquit) hujusmodi, quod posses dicere a Domino dari, sed homini jam volenti; ut, scilicet, beneficium Dei, quo gressus hominis dirigit, ut viam ejus discat, teneat, gradiatur, sua homo voluntate præcedat, et hoc Dei donum sua præcedente voluntate mereatur. Hic ergo fuit error Semipelagianorum, contra quem, et contra Semipelagianos in progressu Epistolæ disputat ex locis Scripturæ, quæ necessitatem gratiæ non solum ad progressum, sed etiam ad initium voluntatis bonæ convincunt. Et inter alia dicit: *Deum vocatione alta atque secreta præmovere hominem, ita movendo sensum, ut accommodet assensum*; et infra, circa finem epistolæ, ait: *Quomodo dicitur quod per legem Dei atque doctrinam Scripturarum fiat, quod eadem Scriptura dicit: Præparatur voluntas a Domino, ac non potius per occultam inspirationem gratiæ Dei?* Et infra: *Quomodo expectat voluntates hominum, ut præveniant eum quibus det gratiam*, etc. Hoc ergo est quod ab Augustino damnatur, scilicet, quod Deus expectet, ut voluntas hominis præveniat ipsum, seu quod expectet meritum voluntatis operantis sua sola naturali libertate, ut ei gratiam suam communicare incipiat. Hoc ergo ipsum est quod Concilium Arausicanum in illo canone decrevit, nam eandem doctrinam contra eundem errorem tradere voluit.

14. Et simili modo Petrus Diaconus, in lib. de Incarnat. et grat., c. 7, referens argumentationem Massiliensium, hanc dicit fuisse conclusionem eorum: *Restat ut non ille* (scilicet

Deus) *excitet voluntatem humanam, sed eam expectet ab homine, ut æquum sit in volentibus præmium, in nolentibus autem justa damnatio.* Non solum ergo dicebant Semipelagiani Deum expectare consensum, sed dicebant expectare voluntatem ad excitationem gratiæ, et consequenter illam voluntatem esse consensum quemdam liberum, a sola voluntate sine ullo gratiæ auxilio conceptum. Contra quem errorem ipse argumentatur ex verbis Christi: *Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone, etc.* Quod exemplum evidenter ostendit intentionem ejus contra Massilienses, fuisse quod Deus non expectet præviam bonam voluntatem hominis ad eum vocandum. Unde in cap. 8 sic contra eos incipit: *Sed nos, sequentes eundem Apostolum, omnium bonarum cogitationum originem, earumque confessionem et voluntatem ex Deo, et per Deum, et in Deo dicimus, qui pravas hominum voluntates, et terrenis affectibus implicatas, per infusionem et operationem intrinsecus Sancti Spiritus absolvit, et corrigit, sicut scriptum est: Præparatur voluntas a Domino*; quod infra exponens verbis Coelestini Papæ, addit: *Et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum.* Affirmabant ergo Semipelagiani Deum expectare voluntates hominum, ut eorum corda suis inspirationibus tangat, et hoc non est, quod expectet hominem jam vocatum, ut consentiat.

15. *Confirmat Fulgentius.* — Et hoc ipsum confirmat Fulgentius in libro suo de Incarnat. et grat., cap. 30, ubi, respondens Petro, dicit: *Ad illud quod vestra eos dicere testatur epistola, id est, quia Deus expectat hominis voluntatem*, etc. Et in eodem sensu errorem illum accipit, et ita illum impugnat exemplo parvulorum, quibus Deus confert gratiam suam, non expectata eorum voluntate, quod exemplum optime accommodatur adultis quoad gratiam vocationis, quam Deus solus facit, non vero quoad comitantem, qua post vocationem liberum consensum nobiscum operatur; unde inquit: *Si ergo ad salvandos homines, sicut isti volunt, non excitat, neque mutat, sed expectat hominum voluntates, quomodo infantes, etc.* Intellexit ergo Fulgentius sententiam Massiliensium fuisse, Deum non prævenire voluntates hominum, excitando illas, ut eas mutet, et de malis bonas faciat; sed expectare illas ut bonæ esse incipiant, et sic suam excitationem mereantur. Unde infra suam argumentationem ita concludit: *Si enim Dei bonitas salutem*

non incipit hominis operari, nisi bonam ejus invenerit voluntatem, iniquum erit condemnari qui bene nec velle, nec nolle potuerit; et infra: *Certissime credendum est, et fiducialiter confitendum, unam eandemque Dei gratiam in majoribus salvandis operari bonæ voluntatis initium, quæ in parvulis sine voluntate operatur salvationis effectum. Ipsa gratia infantes neque volentes, neque nolentes redimit, quæ majores illuminando, volentes ex nolentibus facit.* In quibus omnibus ponderanda sunt duo. Unum, quod tota controversia cum Semipelagianis erat de initio bonæ voluntatis; aliud, quod hoc initium ponitur in inspiratione et illuminatione, per quam Deus, congrue utique datam, voluntatem ex nolente volentem facit; unde postea subjungit: *In parvulis, salutis opus sine propria voluntatis assensu, gratia Dei operante, perficitur; quod bonæ voluntatis exordio divinitus dato in majoribus inchoatur, ut opere solius gratiæ voluntas, quæ mala fuit, bona fiat, et deinceps gratiæ secum operanti servitium obedientiæ cooperatrici exhibeat.* Ex quibus verbis colligo, ad illam solam gratiam, quam Deus solus operatur in nobis, non expectare Deum voluntatem nostram ex mente Fulgentii, qui hoc asserit, ut Semipelagianis contradicat; in hoc ergo illi errarunt, et hoc est quod damnat Concilium Arausicanum; nam ut voluntas cooperetur gratiæ secum cooperanti, necessario est ejus obedientia expectanda.

16. *Accedit Bellarminus.* — *Item Vega, et alii.* — Denique graves etiam Theologi illum canonem ita intellexerunt. In primis Bellarminus, de Grat. et liber. arbitr., capit. 6, ubi contra quosdam, qui dicebant Deum non semper nos vocare, sed tamen paratum esse ad vocandum, si velimus, dicit eos incidere in Semipelagianorum errorem, et adjungit: *Expectat quidem ille qui pulsat ad ostium cordis, ut aperiat, et ideo dicit: Si quis mihi aperuerit, intrabo ad eum; sed non expectat ut invitetur ad pulsandum, sed ipse prævenit pulsando et vocando, ut definitum est in Concilio Arausicano, can. 4.* Similiter Vega, lib. 6 in Trident., c. 5, inter alia quæ contra nostram liberam cooperationem objicit, quarto loco ponit hunc canonem 4 Concilii Arausicani dicentis: *Deus, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram non expectat.* Et respondet: *Verum hoc ad gratiam prævenientem referendum est, non ad justificantem; ideo enim dictum est Deum voluntatem nostram non expectare, quia, ut justificemur, ipse nos prævenit, ut velimus, et assentiamus, et cooperemur sue vocationi.* Per gratiam au-

tem prævenientem Vega intelligit excitantem, ut in solutione primæ objectionis late declaraverat; ad hanc ergo ait non expectare Deum voluntatem nostram, ad cooperantem autem aperte vult Deum cooperationem nostram expectare. Quin potius etiam Medina, lib. 2, q. 109, art. 6, dub. 1, idem argumentum quarto loco proponens contra libertatem consensu, respondet sensum definitionis Arausic. Concilii esse, quod nos non prævenimus Deum, sed ipse nos prævenit in benedictionibus dulcedinis, dando consensum libero arbitrio, quæ verba verissima sunt: in verbo tamen dandi potest esse æquivocatio, possuntque illud defensores prædeterminationis de illa interpretari, præsertim cum Medina non sit ab illa sententia alienus. Nihilominus tamen idem auctor, in secundo dubio, ultimum argumentum ita proponit: *Deus expectat nostrum consensum, ut nos convertat, ut supra demonstratum est.* Et postea, in solutione non negat hoc antecedens, sed ait: Respondetur quod *Deus expectat nostrum consensum; nam (ut ait Augustinus) qui creavit te sine te, non salvabit te sine te. Verum non expectat nostram voluntatem, quasi ipsa præveniat, et inde sit initium boni, sed ut sequatur, et obediat divinæ motioni.* Quæ est vera et genuina intelligentia Concilii. Et licet ultimum verbum possit ad prædeterminationem detorqueri, tamen verbum *expectat* nullo modo habet locum respectu illius, ut declaravi. Unde etiam optime dixit Soto, lib. de Natur. et grat., cap. 15: *Cum Deus tam sit præsto qui nobis opituletur, nimirum, qui irradiare principum corda sol ipse justitiæ nunquam cessat, quid causæ esse potest, cur non instauratur, nisi quia assensum nostrum expectat, et operari, quod testimonio Apocalypsis et aliis confirmat.*

17. *Occurritur objectioni ex illo canone sumptæ.* — *Contenta in sententia Massiliensium, quæ damnantur et referuntur.* — Ad objectionem ergo ex illo canone sumptam, respondemus negando illam dicti canonis interpretationem. Et ad probationem, similiter dicimus male referri Semipelagianorum sententiam in illo canone damnatam, et pejus ad nostram comparari. Tria enim in illa sententia Massiliensium continebantur. Primum, expectare Deum hominis voluntatem, ut illam vocet; secundum, id quod in illa expectat, esse aliquale meritum, vel impetratio primæ gratiæ auxiliantis; tertium, illud meritum esse aliquod opus liberum solis viribus humanæ voluntatis factum; et hæc sunt quæ in illo canone damnantur, ut in dicto prolegom. 5, et hic iterum